



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Compendium Totius Tractatus De S. Matrimonij
Sacramento R. P. Thomæ Sanches E Soc. Iesv**

Sánchez, Tomás

Coloniæ Agrippinæ, 1624

R.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41559

referuatur filijs prioris matrimonij, quamuis coniuux ille superstes non transeat ad secundas nuptias, *lib. 7. d. 89. n. 33.* An debeatur coniugi pauperi habenti patrem, & filios diuites? Non resoluit Doctor, *ibi.*

R

Raptus.

1 **R**apta nubens raptori, non amittit lucrum, quod lex civilis deferebat, iure canonico prædictam legem corrigente, *l. 7. disp. 12. n. 28.*

2 Raptor cum fautoribus incurrit omnes pœnas contentas in Con. Trid. *Sess. 24. de matrimonio, cap. 6.* post sententiam iudicis, excepta excommunicatione, quæ est lata sententiæ, *l. 7. disp. 13. nu. 1.*

3 Raptus causa ineundi matrimonium cum traductione de loco ad locum, siue sequuta copula, siue non, siue virginis, siue corruptæ sit, siue meretricis, siue inhonestæ conjugatæ, dirimit sponsalia, & matrimonium, dum rapta est in potestate raptoris, & est locus omnibus pœnis Conc. Trid. At raptus, quando est species luxuriæ, non dirimit. Vel si rapiat, non vt secum, sed cum alio contrahat, nemine petente. Vel si fœmina volens abducta sit, quamuis postea voluntatem mutet. Vel si solis precibus, aut conducta extrahatur, aut dolis. Vel si extrahatur virgo consentiens, ignorantibus tamen parentibus. Deniq; item non comprehenditur in hoc decreto raptus propriæ sponsalæ de

ſæ de futuro, reclamantibus proprijs parentibus, *l. 7. diſp. 13. à n. 2. uſq; ad 18.*

4 Raptus alienæ ſponſæ, licet rapta poſtmodum raptui aſſenſum præbeat cum traductione loci ad locum cauſa contrahendi matrimonium cum illa, impedit hodie matrimonium: ita ut raptor ille, nec cum rapta, nec cum alia quacunq; poſſit inire matrimonium. Nō tamen contractum dirimit. Secus dicendum, ſi raptus ſit utroque ſponſo conſentiente. Item ſi ignorante ſponſo raptus ſponſæ conſentientis fiat, aut viro dolis circumuento, *lib. 7. diſp. 12. à nu. 41. uſq; ad 49.*

5 Malitia raptus, quatenus eſt circumſtantia in conſeſſione ſatenda ſpecie diſtincta à luxuria, ea eſt, quod homo affectu luxuriæ impuſus eò perueniat, ut quo libidinem expleat, vim inferat ſcœminæ, aut hiſ, ſub quorum poteſtate ac cura eſt. Vnde quâuis ad pœnas raptoribus iure decretas incurrendas deſideretur violenta de loco ad locum abductio, at in foro conſcientiæ, ut raptus ſit circumſtãtia ſpecie diuerſa à fornicatione neceſſariò conſitenda, id non deſideratur, ſed ſufficit quomodo cumque vim inferre ſcœminæ ad copulam extorquendam. Idem dicendum conſentiente ſcœmina ducta importunis precibus. Item ſcœmina abducta inuita ſui iuris, & poſt uolente cognitâ, aut è contra. Item ſi conſentiente ſcœmina, inuitis parentibus abducatur. Item eſt raptus circumſtantia, quamuis ſcœmi-

fœmina sit cuiuscumque status: id enim nihil refert: nisi vir rapiat vxorem. Verùm secùs dicendum, quando fœmina cognoscitur ignorans, aut dormiens sine vi. Item quando fit sine causa libidinis, sed aliâ causâ. Erit tamen reductivè raptus, quando puella abducitur ignorantibus parentibus, aut tutoribus, *l. 7. d. 12. à nu. 30. vsq. ad 40.*

6 Mulier rapiens virum, vel aliam mulierem, non subditur eisdem pœnis raptus, sed alia pœna extraordinaria punienda est, *lib. 7. disp. 12. nu. 25.*

7 Ad raptum pœnis iuris subiectum quadruplex conditio desideratur. 1. Ut adsit violentia. 2. Ut fiat causa libidinis. 3. Ut sit traditio de loco ad locum. 4. Ut mulier rapta sit honestæ vitæ, *lib. 7. disputat. 12. à num. 1. vsque ad 23.*

De Religione, & Religioso.

1 Religionem ingredi licet post matrimonium ratum, ita ut vinculum talis matrimonij omnino dirimatur solemnî religionis professione per alterum contrahentium emissâ, & coniux manens in sæculo liberè possit ad alias nuptias transire, *lib. 2. disp. 18. num. 3.* non tamè dirimitur matrimonium ratum per vota emissâ ab illis, quas vocant Beatas non seruantes clausuram, quia non sunt religiosæ: quod de ijs quoq; qui simplicia dūtaxat vota emittunt in tertio ordine S. Francisci, dicendum est. Et de eremitis hoc tempore, *num. 4. & 5.* Et de al-

cen-

cedentibus ad ordinem sacrum vel episcopatum, quia non idcirco profitentur solemniter sicut religiosi, *num. 9.* Bene tamen dirimitur per professionem equitum S. Joannis, & aliorum religiosorum in ordinibus militaribus quorum equites sint verè religiosi, *numer. 7.* hæc matrimonij dumtaxat rati, necdum consummati dissolutio per religiosam professionem, vim habet ex solo iure diuino positio, quo Christus hoc priuilegium professioni illi concessit, *ib. d. 19. nu. 3.*

2 Religiosi virtute priuilegiorum quibus possunt ministrare Eucharistiam præterquam in die Paschatis, non prohibentur illam eo die administrare, vagis, aduenis, & peregrinis, qui in eo oppido minimè contraxerunt parochiã habitationis, quia nec ibi habitauerunt, nec animum habitandi habent maiore anni parte: quia administratio illa non est parochi in iuriõsa, *lib. 3. disp. 23. num. 17.* Idem est de administratione facta mercenarijs ad breue tempus locantibus operas, vt ad fodiendum, &c. & vel carentibus parochia, vel distantibus ab ea, quam in patria habent, *ib. nu. 18.*

3 Religiosus ex regulari constitutione abstinens à carnibus, si die natalis domini incidente in sextam feriam cum alijs omnibus, permittitur eo die carnes edere, edat etiam ipse carnes, non peccat contra prohibitionem iuris communis: quod si constitutio regularis personam illam non obliget ad culpam, non peccat.

peccabit in ea abstinentiæ violatione, *lib. 7. disp. 8. num. 16.*

4 Religiosi peccant, si in Baptismo aut Cõfirmatione susceptores sint, vt patet ex iuribus id vetantibus. Quia tamen nullum est in eis verbum, quod factum irriter sunt veri susceptores, & contrahunt cognationem spirituales, *l. 7. dis. 60. nu. 21.*

5 Religiosus non aduersatur motui proprio Clementis 8. quo interdixit religiosis, ne largirentur munera, nec violat votum paupertatis, quando profitetur, se nolle acceptare, vt si dicat sic: eã re nõ indigeo: si tibi placuerit, gratum mihi facies, si dederis meo consanguineo. Secus, quando religiosus expressè, vel tacitè acceptet, & petat dari consanguineo. Item conuentus repudians legitimam monachi absque iusta causa iam delatam ante acceptationem, non violat motum proprium. Clem. VII. quia eam repudiare non est alienare, nec dare. Peccabit tamen mortaliter contra charitatem, si absque iusta causa religiosus priuatus rem sibi donatam nollet acceptare, sed rogaret alij dari, quia impedit bonum monasterij, *li. 6. disp. 4. nu. 7.*

Remissio.

1 Remissio debiti facta, quia creditor desperat, se aliàs recuperaturum, vel si debitor mentiatur, dicens, se paratum esse ad soluendum, valida est, nisi aliqua fraus, vel culpa debitoris interueniat. Nec similiter vitabitur remis-

remissio, si quidam tertius proponat sic creditori: nitatur ut debitor soluat concessâ sibi partis debiti remissione, nullo incesso metu, nullaq; fraude composita, aut diffidentia, quamuis debitori non esset animus aliter soluendi, *l. 4. disp. 9. nu. 17.*

2 Remissio tam in delictis, quam in contractibus est favorabilis, & extendenda, *libr. 10. disp. 8. num. 21.*

Repudium.

1 Debitor potest repudiare hæreditatem, vel legatum ante acceptationem in fraudem creditoris, licet eius bona sint hypothecata. In foro tamê cõsciëntiæ peccat mortaliter repudiâs, & tenetur restituere lucrum cessans, & damnum emergens. Successor tamen tutâ consciëntiâ possidet, cum sit talis repudiatio valida in utroq; foro, *l. 6. d. 4. n. 8. & 9.*

2 Vxor potest tutâ conscientia renuntiare lucris constante matrimonio acquisitis, ne cogatur partem debitorum solvere, *libr. 6. disput. 4. numer. 10.*

3 Solus prælatus absq; solemnitate requisita in alienatione rerum Ecclesiæ, post repudiare hæreditatem, vel legatum Ecclesiæ, vel monasterio delatum, *lib. 6. disp. 4. nu. 11. & 12.*

4 Solus prælatus non implens conditionem, sub qua aliquid legatur Ecclesiæ, aut monasterio, ipsi præiudicat, ut illud amittat. Itê solus prælatus recipiens pensionem ab eo, quem priuare poterat ob eam non solutâ, præiudicat Eccle-

Ecclesiæ, vt amplius priuare non possit. Item quamuis prælatus sic repudiatis hæreditatem, aut legatum absque causa iusta, peccet; minime tamen incurrit excommunicationem latam in alienantes bona Ecclesiæ absque solemnitate; tenetur tamen proprijs bonis damnum refarcire. Et hæc dicta non sunt intelligenda de renuntione in fauorem alicuius, qui alias non succedebat, *li. 9. disp. 4. à n. 13. vsque ad 17.*

Restitutio.

Extorta metu leui iniuste incusso, & ad id sunt restituenda, *lib. 4. disp. 9. à numer. 1. vsque ad 8.*

2 Potens aliquem iuste accusare, eoque timore illato aliquid extorquens, ne accuset, non tenetur restituere, quamuis absque animo accusandi minetur accusationem. Secus dic de pretio extorto ab adultero reperto cum uxore, ne illum interficiat. Secus, quando extorquet, ne ad iudicium deferat, *lib. 4. disp. 9. num. 9.*

3 Extorta metu reuerentiali, si inuoluntarium mixtum efficiat, sunt restituenda. Dicitur autem metus reuerentialis ad hunc effectum, quando omnino repugnanti voluntate, & quasi coactus consentit, non audens pro pudore, & reuerentia contradicere, quamuis nullum aliud maiam timeat, *lib. 4. disputat. 9. num. 12.*

4 Quæ precibus importunis obtenta obligant ad restitutionem, similiter obligant metum re-

tu reuerentiali extorta, *lib. 4. disputat. 9. numer. 18.*

5 Extorta precibus importunis efficientibus mixtum inuoluntarium, sunt restituenda, *lib. 4. disp. 10. à nu. 1. usque ad 4.*

6 Deflorans virginem importunis precibus, quando re vera illa victa, voluntate repugnante, solum vt importunitatem repellat, consentit suæ deflorationi, tenetur deflorator restituere, *lib. 4. disp. 10. nu. 5.*

7 Donatio inter coniuges nimia importunitate extorta, & inter patrem, & filium, non est valida, nec confirmatur morte, nec censetur melioratio, nec testamenta sic extorta sunt firma, *lib. 4. disp. 10. nu. 7.*

8 Impediens legatum precibus importunis continentibus mixtum inuoluntarium, tenetur restituere eo modo, quo vir impediens, *lib. 4. disp. 10. nu. 8.*

9 Deflorans virginem volentem, non tenetur restituere, nec ipsi virgini, nec parentibus. At vbi violenter deflorauit, nil aliud est restituendum, quàm supplementum dotis necessarium ab nubendum, eo quòd deflorata sit, quo non indigeret, si virgo esset, *lib. 7. disp. 14. nu. 12.*

10 Restitutio non est facienda pretij accepti ob adulterij remissionem, ante sententiam, *lib. 10. disp. 8. nu. 22.*

11 Ante matrimonij consummationē, præcedente traductione sponsæ ad sponsi domū,

R

non

non est locus plenæ restitutione spoliij, nempe, quoad cohabitationem, & copulam; at bene quoad solam habitationem, & alia ministeria inter coniuges mutuò debita præter copulam, nisi vir ad eò seuerus sit, vt meritò timeatur extorsio copulæ, nec possit sufficienter caueri hoc damnum data cautione per virum. Tunc enim differenda est restitutio, donec cognoscatur de iustitia exceptionum, *libr. 7. disp. 112. à nu. 6. vsque ad 10.*

12 Quando nulla alia ratio spoliij allegatur à coniuge deserente suum coniugem præter spoliati coniugij impotentiam, & triennium experientiæ lapsum, non est cogendus coniux, qui recessit, excommunicatione contra ipsum lata ad cohabitandum, quæ coactio fit ratione contractus; tamen triennio lapso iam experientiæ restitutio facienda quoad habitationem, antequam exceptio admittatur, *libr. 7. disp. 112. à nu. 11. vsque ad 14.*

S

Sæuitia.

1 **I**ntegrum est coniugi propria auctoritate diuertere ob adulterius sæuitiam tantam, vt absque grauis damni periculo non possit cum illo habitare, donec cautio sufficiens præstetur, & quauis alias restitutio ante omnia faciendâ sit: excipitur tamen casus in quo coniux diuertens opponit alterius sæuitiam, non solum quoad habitationem, sed
etiam